§. I.

Cap. 9. Dist. X. apud Gratianum.

I. SUMMARIUM.

LEGES IMPERATORUM CUSTODIRI OPORTET.

INSCRIPTIO.

Item Leo IV. Lothario Augusto.

TEXTUS.

De Capitulis vel præceptis Imperialibus vestris vestrorumque pontificum prædecessorum irrefragabiliter custodiendis & conservandis, quantum valuimus & valemus Christo propitio, & nunc & in ævum nos conservaturos modis omnibus profitemur. Etsi fortasse quilibet aliter vobis dixerit, vel dicturus fuerit, sciatis eum pro certo mendacem.

§. II.

§. II.

Diversæ circa hunc textum Opiniones

1) Justi Fontanini.

Vix ullum in utroque Corpore Juris textum reperies magis controversum: Etenim 1) Justus Fontanini editor decreti Gratiani per Cardinalem a Turrecremata juxta decretalium ordinem compositi *a) hunc textum non esse Leonis IV. Papæ, sed partum esse ex cerebro Gratiani natum* docet: Verum hic Author neminem hodie sibi habet consentientem.

a) Tit. III. Rub. 6. C. 1.

§. III.

2) *Opinio Glossatorum.*

Glossatores hunc textum Gratiani simpliciter admittunt *prout jacet*, mittuntque in textum Glossam sequentem: *a)*

Casus.

Lotharius audiverat, quod Leo Papa nolebat servare leges Imperiales; unde interrogavit de hoc Papam: an esset verum? quare

Leo

Leo scribit ei & dicit: quod ipse vult leges observare irrefragabiliter, & qui aliter dicit mendax est. Vocem *Pontificum* in textu intelligunt de Imperatoribus, *quia Imperatores olim Pontifices appellabantur juxta Can.* 1. *Dist.* 21.— Sed male ita inquit Glossa, eamque merito redarguunt Correctores Romani (§. seq.)

a) In Decret. Grat. Gloss. ed. Parisiis 1601. ad Can. 9. Dist. 10.

§. IV.

3) *Opiniones Correctorum Romanorum.*

ROMANI CORRECTORES viri eruditissimi numero triginta quinque, quibus Correctio Decreti jussu PII IV. & V. atque GREGORII XIII. commissa erat, ad textum nostrum ita notant: In istis verbis: VESTRORUMQUE PONTIFICUM PRÆDECESSORUM: *Videtur subesse mendum ex quo auctor Glossæ errandi occasionem sumserit, qui christianis Imperatoribus, cujusmodi fuerant prædecessores Lotharii, attribuat illud, quod Isidorus de Ethnicis dicit: nimirum Imperatores solitos fuisse appellari Pontifices: de quare optime Gelasius in tomo de Anathematis vinculo, & infra Distinct.* 21. *C. Cleros. Apud Ivonem legitur:* Vestris nostrorumque etiam Pontificum

prædecessorum: *in Panormia*, nostris nostrorumque Pontificum & Prædecessorum. *Sed fortasse cætera quidem recte apud Gratianum habent: tantummodo ante dictionem, Prædecessorum, est addenda conjunctio*, ET, *quemadmodum est in Panormia. Nam hoc significabitur, Imperatores illos solitos fuisse edere capitula, adhibitis in consilium Pontificibus regni, quod verissimum est. Omnino hæc, quæ a Leone scribuntur, spectare videntur ad Capitula Caroli & Ludovici, quæ Lotharius in universa Italia servari mandaverat. Nam in legibus Longobardicis Lib. 3. tit. 5, Lotharius ita constituisse traditur*: Placuit nobis, ut capitula, quæ excerpsimus de capitulari bon. mem. gloriosissimi Domini nostri Caroli, & Genitoris nostri Ludovici Imperat. invictissimi, his omnibus & fidelibus nostris, & sanctæ Ecclesiæ in regno Italiæ consistentibus, per legem teneantur & serventur: & quicunque horum Capitulorum contemptor extiterit, sexaginta solidis componatur. *Id populo Romano, qui jure antiquo Romanorum uti probiberetur, valde displicuit: sicut ex C. fin. infra ead. Dist. colligi potest: disseminatusque etiam rumor fuit, eandem esse Pontificis ac populi Sententiam. De qua re Leo hac se epistola videtur purgare voluisse; & tamen postea, pro conservando jure civili Romanorum*,

norum, cum eodem Lothario iterum diligentius egit; quod apparet ex dicto C. finali.

§. V.

4) *Lectio* Baronii.

Eminentissimus Cardinalis Cæsar Baronius fragmentum hujus Epistolæ ita refert: *De Capitulis vel præceptis Imperialibus vestris*, nostrorumque Pontificum et Prædecessorum *irrefragabiliter custodiendis &c.* ut in textu: Hic 1) Baronius discedit a lectione communi; 2) ait: hanc promissionem a Leone fuisse factam ex *pacto* inter Pontificem & Imperatores inito, *vi cujus electio & Consecratio Papæ nonnisi juste & canonice fieri debeat*, hinc Leonem vice versa promisisse *se servaturum illibata jura imperialia*, id est: *Capitularia Regum Francorum, sed pro cursu temporalium tantummodo rerum.* Lectionem & interpretationem *Baronii* cum verbis: *nostrorumque Pontificum & Prædecessorum*: sequuntur fere omnes reliqui Curialistæ Romani, quia hæc sententia favet auctoritati Papali *a*).

a) *Annal. ecclesiast. Tom. X, ad annum 847. n. XI.*

§. VI.

5) *Lectio* STEPHANI BALUZII & PETRI DE CHINIAC.

STEPHANUS BALUZIUS, qui in inquirendis ac ſcrutandis antiquis Eccleſiæ monumentis præcipue Capitularibus regum Francorum ad canitiem uſque ſudavit, Canonem noſtrum adfert: ommiſſa voce: *Pontificum*: *a*)

> *de Capitulis*, ait, *Imperialibus* VESTRIS VESTRORUMQUE *Pontificum* PRÆDECESSORUM *irrefragabiliter cuſtodiendis & conſervandis, quantum valuimus & valemus Chriſto propitio, & nunc & in ævum nos conſervaturos modis omnibus profitemur; & ſi fortaſſe quilibet aliter vobis dixerit, vel dicturus fuerit, ſciatis eum pro certo mendacem.*

Solitis poſtea argumentis pro more ſuo vir iſte convellit Baronium, demonſtrans, Epiſtolam Leonis, non ex pacto prævio proficiſci, neque a Papa jurari autoritatem Capitularium tantum quoad uſum temporalium rerum, ſed inſimul eccleſiaſticarum.

a) *In Præfat. ad Capitularia regum Francorum à n. 21. ſeq.* ed. Pariſiis curante PETRO DE CHINIAC 1780.

§. VII.

6) *Lectio* ANTONII & FRANCISCI PAGI.

Viri æque in historia Sacra Versatissimi Antonius & Franciscus PAGI, qui Criticam historico-chronologicam in universos Annales ecclesiasticos *Card. Cæs. Baronii* adornarunt, iisdem cum BALUZIO verbis referunt, omissa voce: PONTIFICUM: *a*)

de Capitulis vel præceptis Imperialibus vestris, vestrorumque Prædecessorum irrefragabiliter custodiendis &c. ut in textu

docte insimul respondent *Baronio*, hunc textum de Capitularium regum Francorum dignitate & authoritate intelligendum esse *non solum pro cursu rerum temporalium, sed insimul quoad personas Ecclesiasticas.*

a) Tom. III. p. 604. ad annum 847. n. XI.

§. VIII.

7) *Lectio Hermanni* CONRINGII.

Lectionem Baronianam refellit Hermannus CONRINGIUS his verbis: *a*) *Tanti vero fecit* LOTHARIUS *illa Capitula, ut ipse Romanus Pontifex coactus fuerit iis sese subjicere,*

cere, extat Leonis IV. Papæ professio quam Baronius retulit hisce verbis:

> *de Capitulis vel præceptis Imperialibus vestris, nostrorumque Pontificum & Prædecessorum irrefragabiliter custodiendis &c.* ut in textu.

Sed verba hæc pergit CONRINGIUS *a falsariæ manu corrupta esse nemo NB. non emunctioris paulo naris facile odoratur . . In Gratiano ipso ita legitur hodie:*

> *de Capitulis vel præceptis Imperialibus vestris* VESTRORUMQUE PONTIFICUM PRÆDECESSORUM *irrefregabiliter custodiendis &c.* ut in textu.

Etiam ita, ait, mendum est in voculis illis: *vestrorumque Pontificum*, ceu censores ipsi Gregorianæ editionis annotarunt: absurda sane est illa loquendi formula, eoque ad ineptias adegit auctorem glossæ. . . res autem clara est, si deleatur una vocula: PONTIFICUM.

a) Lib. de Orig. Jur. germ. Cap. 17.

§. IX.

8) *Lectio* ANTONII AUGUSTINI.

ANTONIUS AUGUSTINUS Tarraconensis Episcopus, (quem si Correctoribus Romanis Pon-

Pontifices ſocium adjunxiſſent ſine dubio meliori fortuna decreti ſtetiſſet loco, *a*) in libris ſuis de emendatione Decreti Gratiani *b*) ſimiliter de hoc textu noſtro ita diſſerit:

B. Can. 9. Diſt. 10. Leoni IV. ad Lotharium Auguſtum Ivo, Gratianus, & Liber Cæſar Auguſtanus adſcribunt, cujus verba mendoſa videntur: *de Capitulis vel præceptis imperialibus veſtris veſtrorumque Pontificum Prædeceſſorum irrefragabiliter cuſtodiendis.* — A. Vox *Pontificum* aut vox: *Prædeceſſorum*: Supervacanea eſt: agitur enim de Capitulis, ſive Capitularibus Imperatorum, quæ Lotharius poſtulabat a Pontifice Romano ſervari, quam ob rem ommiſſa voce: *Pontificum* recte dicetur: *veſtrorumque Prædeceſſorum*: ſi vero vox: *Pontificum*: retineatur: de *Pontificibus*: hoc eſt: *Epiſcopis* intelligi oportet, qui Capitularia in Synodis cum Imperatoribus fecerant, vox: *Prædeceſſorum*: omitti debet. — B. Utraque vox tamen eſt apud Ivonem & in libro Cæſar Auguſtano. Sed varietas eſt in illis Verbis: *veſtris veſtrorumque etiam*, eſt enim in Panormia: *noſtris*, *noſtrorumque*: & in Excerptionibus: *veſtris noſtrorumque* etiam: in Cæſar. Auguſtano: *veſtris noſtrorum* &c. ROMANIS placet: *veſtris*

ſtris noſtrorumque Pontificum Prædeceſſorum: ſed vidi manu PETRI CIACONIS ſcriptum: *veſtris veſtrorumque Prædeceſſorum*. A. Id igitur (videlicet: *veſtris veſtrorumque Prædeceſſorum*) teneamus.

Ita Antonius Auguſtinus docuit ſuum diſcipulum ſe interrogantem de hoc textu; retinendam eſſe lectionem: *veſtris*, *veſtrorumque Prædeceſſorum*, omiſſa voce: *Pontificum*.

a) BOEHMERUS in præf. ad decretum Gratiani p. XXVI.

b) De emend. Grat. p. 444.

§. X.

9) *Lectio Petri de* MARCA & CAROLI SIGONII.

Illuſtriſſimus Archiepiſcopus Pariſienſis Petrus de MARCA æque felix in ferenda ſuam de Epiſtolis Romanorum Pontificum & auctoritate Capitularium ſententia de Canone noſtro, ejusque occaſione ita diſſerit: *a*)

„Hoc edictum (Capitularis Aquisgranen-
„ſis) tranſcriptum eſt Lib. I. Capitulariam;
„idque deinde Lotharius Imperator, fili-
„us Ludovici Pii in Conſtitutionem ſuam
„retalit,

„retalit, quæ *Capitulare Lotharii* dicitur: „quo plurima alia capita ad Conſtituen„dam regni Italiæ politiam & NB. eccleſiæ „diſciplinam pertinent, e Capitulis *Caroli* „& *Ludovici* excerpta: Huic Capitulari „Lotharius Sanctionem ſuam addidit: Ce„terum ſiquis dubitet an hæ Principum „Conſtitutiones gratæ fuerint Pontificibus „Romanis, conſulat fragmentum epiſtolæ „Leonis IV. Papæ ad Lotharium, qua ſpondet:

ſe Capitula illa & præcepta Lotharii EJUSQUE PRÆDECESSORUM *in omnibus obſervaturum.*

Similiter Carolus SIGONIUS in ſua hiſtoria de Italiæ Regno ſub LOTHARIO I. *b*) refert: *Leonem* IV. Imperatori fuiſſe denunciatum, quaſi ejus Capitularia contemneret, *qui probata ſua innocentia* ſcriptis, quæ extant, ad Lotharium literis profeſſus eſt:

ſe præcepta EJUS & MAJORUM *ſervare, & in perpetuum ſervaturum eſſe.*

a) de Conc. Sac. & Imp. L. 2. C. 12. n. V.
b) Lib. 5. n. 5. ed. Francof. 1591. p. m. 120.

§. XI.

§. XI.

10) *Opinio Clar. Zegeri* ESPENII.

ESPENIUS, qui annos ſuæ ætatis in hiſtoria ſacra, & jure eccleſiaſtico in meliorem formam redigendo conſummavit, duplicem lectionem admittit: UNAM in Diſſ. III. *de Capitularibus regum Francorum*, *a*) ubi ita ait: „Nihil eſt, quod Capitularium authoritatem amplius commendare poſſit, quam illud, quod „ex epiſt. Leonis IV. refert Gratianus Diſt. 10. „Can. 9.

de Capitulis vel præceptis Imperialibus VESTRIS VESTRORUMQUE PONTIFICUM PPÆDECESSORUM irrefragabiliter cuſtodiendis &c. ut in textu.

„Monent, pergit, ad hunc Canonem Correctores Romani ante dictionem: PRÆDECESSORUM: addendam eſſe conjunctionem: ET: „nam hoc Significabitur, Imperatores illos ſolitos fuiſſe edere Capitula adhibitis in Conſilium *Pontificibus regni*, quod veriſſimum eſt.“

ALTERAM lectionem admittit in Commentario ſuo. quem dedit in Gratianum *b*) hiſce verbis: „Romanos Pontifices agnoviſſe ſe ſubjectos „legibus & Conſtitutionibus Imperatorum, non „tantum externum temporale ac politicum re-

„gimen

„gimen reipublicæ concernentibus, ſed etiam „externam eccleſiæ diſciplinam ſpectantibus, „evincit Epiſtola LEONIS IV. inſcripta Lothario „Auguſto & a Gratiano relata Can. 9.

De Capitulis vel præceptis veſtris Imperialibus VESTRORUMQUE PONTIFICUM PRÆDECESSORUM &c.

„Hoc fragmentum Epiſtolæ, pergit, pro ad„ſtruenda auctoritate Capitularium regum Fran„corum adducit vir clariſſimus Stephanus BA„LUZIUS in doctiſſima ſua præfatione ad hæc „Capitularia regum Francorum §. 21. *omiſſa „voce*: PONTIFICUM: quæ in textu Gratiani „manifeſto redundat, & ſenſum reddit obſcu„rum; atque hanc Leonis epiſtolam ſpectare „Capitularia *Caroli* M. *Ludovici* Pii, & *Lo„tharii*, quæ hodie vulgo dicuntur: *Capitula„ria regum Francorum*, oſtendit ibidem BA„LUZIUS" hactenus van ESPEN.

a) Jur. eccleſ. univ. T. 3. p. 503. ed. Col. 1777.
b) ibidem pag. 536.

§. XII.

11) *Lectio* ALEXANDRI NATALIS.

Eximius P. Natalis ALEXANDER ſimiliter meminit textus noſtri, *a)* quando de LEO-

NE

NE IV. ipſi ſermo eſt, & quidem ſequenti modo: „Cum adverſus Leonem IV. querela fuiſ„ſet ad Lotharium Imperatorem delata, tan„quam is NB. Capitularia regum Francorum „contemneret, ad hanc ille Criminationem re„ſpondit: *ſe ea velle in perpetuum ſervare,* „*magnum & impudens mendacium eſſe aſſeve„rans, quidquid contradictam fuerat Impera„tori* fragmentum Epiſtolæ Leonis IV. ad Lo„tharium Imp. refert his verbis:

De Capitulis vel præceptis Imperialibus VESTRIS VESTORUMQUE PRÆDECESSORUM *irrefragabiliter cuſtodiendis* &c. ut textu.

a) In hiſt. eccleſ. Tom. 6. p. 150. ſeqq.

§. XIII.

12) *Lectio* HARZHEMIANA.

Eximius P. HARZHEIM Doctor Theologus Coloniensis, qui nihil intermiſit, quo lectiones & opiniones legum auctoritati Epiſcopali & Cæſareæ faventes ſupprimere, atque poteſtatem ac dignitatem papalem ultra limites a Chriſto poſitos extollere potuit, tamen circa textum noſtrum ab opinione Cardinalis Baronii ſibi diſcedendum eſſe exiſtimavit, atque lectionem tantorum virorum Calculo ſubſcriptam adoptavit, dum ait: *a)* Nihil gravius pro Capitularium com-

commendatione dici poteſt, quam quod LEO IV. Lothario Auguſto circa annum 847. ſcripſit:

de Capitulis vel præceptis Imperialibus VESTRIS, VESTRORUM PONTIFICUM PRÆDECESSORUM *irrefragabiliter cuſtodiendis &c.* ut in textu.

HicHarzhemius recipit textum, prout *jacet* omiſſa particula conjunctiva: veſtrorumQUE, atque interjecto commate inter voces: PONTIFICUM & PREDECESSORUM: rationem ſuæ lectionis non reddidit HARZHEMIUS: maluit tamen retinere lectionem communem, quam deſcendere in opinionem a tantis viris contradictam, quæ manifeſtam redolet falſitatis notam.

a) In Conc. Germ. Tom. I. p. 353.

§. XIV.

13) *Lectio Gerh. von* MASTRICHT & *Juſt. Henn.* BOEHMERI.

GERHARDUS von MASTRICHT vir Aug. Confeſſioni addictus, atque in Univerſitate Duisburgenſi hiſtoriarum Anteceſſor in eruditiſſimo libro ſuo: *hiſt. juris eccleſ. & pontif* *a)* ubi ſtudioſe auctoritatem Capitularium regum Francorum examinat, circa lectionem textus noſtri ſequitur Antonium Auguſtinum, his verbis:

de Capitulis vestris, VESTRORUMQUE PRÆDECESSORUM *irrefragabiliter custodiendis*. Et reliqua ut in textu.

Similiter Just. Henn. BÖHMERUS in corpore juris a se edito inhæret lectioni BALUZIANÆ, dum inquit *b*): recte BALUZIUS in Præf. ad Tom. I. Capit. §. 21. infert: „nullam rem Capitularium „regum Francorum dignitatem, majestatem at„que authoritatem magis commendare atque „obedientiam & obtemperantiam Romanorum „Pontificum, qui illis se subjectos professi sunt, „ac quidem HANC LEONIS EPISTOLAM.

a) Ed. Halæ 1719. a pag. 220. num. 205.
b) Tom. I. in nota 72. ad textum nostrum.

§. XV.

14) *Opinio Pauli Josephi a* RIEGGER *& Joan. Nep.* PEHEM *Jurisconsultorum Vindobonensium.*

Orbi literario germaniæ nota sunt opera viri Celebratissimi, Pauli Josephi a RIEGGER, qui annis quadraginta & ultra laboravit in jure nostro Sacro, & de Gratiani decreto solide peroravit: *a*) atque hic in suis principiis juris ecclesiastici germanici de lectione nostri Canonis ita docet: *b*) „Capitularia regum Francorum in ec„clesiasticis non minus quam civilibus negotiis „insignis diu fuit per Galliam omnem & Ger„maniam auctoritas; quinimo in Italia ipsa quo-

„que

„que probabantur. LEO IV. in epiſtola qua-
„dam ad Lotharium Imperatorem ſcribere mi-
„nime eſt veritus:

de Capitulis & præceptis Imperialibus VESTRIS VESTRORUMQUE PRÆDECESSORUM *irrefragabiliter cuſtodiendis* &c. ut in textu.

Ejusdem opinionis eſt, qui Cathedra hodie adhuc fungitur Canonica Vindobonenſi Vir Conſultiſſimus Joan. Nep. PEHEM *b*) docens: „*Summa Capitularium regum Francorum in rebus tam eccleſiaſticis quam ſecularibus fuit authoritas, quæ non ſolum in regno Francorum ſed & in germaniâ quoque & in Italia diu viguit, quid! quod ipſe Leo IV. Pontifex obſervantiam eorundem* LOTHARIO *Cæſari diſerte promiſit b*).

a) Ejus Diſſ. *de Decreto Gratiani* vid. in Tom. I. Theſ. jur. eccleſ. Germ. Cap. 3. §. 22.

b) Prælect. Jur. eccleſ. ed. Vindobonæ 1785. §. 1001.

§. XVI.

15) *Lectio P. Theodori* RUPPRECHT.

Vir in hiſtoria feliciter verſatus P. Theodorus RUPPRECHT, qui Canones noſtros notis hiſtoricis cum ſelectu & guſtu illuſtravit, noſtrum textum ſimpliciter retinendum ſibi eſſe duxerat, quando inquit: *a*) Verum nihil eſt, quod capitularium authoritatem amplius commendare poſ-

ſit

ſit, quam illud, quod ex epiſtola Leonis IV. refert Gratianus Diſt. 10. Can. 9. ubi ait:

de Capitulis vel præceptis Imperialibus veſtris, veſtrorumque Pontificum Prædeceſſorum irrefragabiliter cuſtodiendis &c.

a) In not. hiſt. ad Lib. I. Decretalium p. 272. ed. Vetero-Pragæ 1751.

§. XVII.

Lectio Baronii: *veſtris, noſtrorumque Pontificum Prædeceſſorum: manifeſtam redolet notam falſitatis.*

Enumerata lectionum diverſitate circa canonem noſtrum, *quænam inter has ſit præferenda?* Quæritur: omnium minime ſuſtineri poteſt lectio *Baroniana* (ſupra §. 5.) *de Capitulis vel præceptis Imperialibus veſtris, noſtrorumque Pontificum Prædeceſſorum &c.* quæ manifeſtam redolet notam falſitatis: quare opinionem Baronii ſolidis argumentis jamjam caſtigarunt viri ante relati Baluzius, Pagi, Conringius & Espenius (§ 6. 7. 8. &c.) Etenim Lectio Baronii oppido repugnat *occaſioni* & *ſcopo* hujus epiſtolæ: Bartholomæus Brixiensis occaſionem hujus epiſtolæ ita refert: *a*) Lotharius *audiverat, quod Leo Papa nollet ſervare leges & præcepta Imperatorum, unde interrogatus de hoc Leo Papa ab Imperatore*

re-

respondit: quod velit leges servare irrefragabiliter, & qui aliter dicit mendax est: quid itaque volunt sibi verba Baronii: quibus Papa jurasset Imperatori, se servaturum Capitula & præcepta Imperialia, atque suorum *Pontificum Prædecessorum*, id est *Episcoporum Romanorum*: de Constitutionibus Romanorum Pontificum a LEONE neglectis nec erat querela, nec quæstio.— Porro verba Baronii *nostrorumque &c.* necessario referenda sunt, ad verba præcedentia, adeo ut resultaret Sensus: *De Capitulis vel præceptis etiam nostrorum Pontificum Prædecessorum irrefragabiliter custodiendis &c.* quis autem somniabit, Imperatorem a Papa postulasse, ut juraret Imperatori observantiam *Capitulorum vel Præceptorum papalium*?

a) Vid. BALUZIUS in Præf. ad Capit. reg. Francorum §. 22. PAGIUS & CONRINGIUS loc. cit.

§. XVIII.

Continuatio.

Porro sensus, quem Baronius affingit verbis suis: *nostrorumque Pontificum Prædecessorum*: est insubsistens, & offendisset magis, quam placasset animum Imperatoris: explicatio Baronii hæc est, quod Leo Papa jurarit Imperatori *observantiam legum & præceptorum Imperialium, tantum in rebus mere temporalibus*, non

autem

autem *in personalibus*; fundat Baronius suam doctrinam in Ep. 7. Nicolai I. ad Michaelem Imperatorem: *a*) ubi legitur: „CHRISTUS JE„SUS sic actibus propriis & dignitatibus distin„ctis utriusque potestatis officia discrevit: *ut „& Christiani Imperatores pro æterna vita Pon„tificibus indigerent, & Pontifices pro Cursu temporalium tantummodo rerum Imperialibus legibus uterentur.*

Notum autem est & ad evidentiam usque demonstratum a viris eruditissimis, 1) quod ipsimet etiam Episcopi romani *in personalibus* obtemperarint, & obedire debuerint legibus Imperatorum; *b*) atque 2) per Pontifices non solum Romanos, sed alios etiam episcopos ea ætate fuisse intellectos: *c*) quis autem exinde non videt, juxta Baronii opinionem Leonem IV. detrectasse obedientiam Imperatori in personalibus atque Lotharii animum merito fuisse exacerbatum magis; siquidem majorem tunc Imperatores potestatem ac jura prætendebant & exercuerunt, etiam in personalibus, & externa ecclesiæ disciplina quam spopondisset *Leo* IV.

a) Vid. Can. 8. Dist. 10.

b) Conf. BALUZIUM præf. cit. in Cap. reg. Franc. n. 26. seqq.

c) Evolve Baluzii Capitularia regum Francorum, atque invenies multis in locis Episcopos vocari *Pontifices*, etiam SUMMOS. e. g. Tom. 1. p. 382. 1116. 1283. Tom. 2. p. 737. adde *Baluzium* & PAGI locis citatis.

§. XIX.

§. XIX.

Continuatio.

Demum absurda est explicatio *Baronii*, siquidem juxta ejusdem doctrinam jam tum ab Imperatoribus Episcopi Romani fuissent agniti imo debuissent agnosci in rebus ecclesiæ disciplinaribus quibuscunque ceu *Legislatores supremi*, quibus ab omnibus etiam ab Imperatore in ejusmodi disciplinaribus causis fuisset obediendum, quæ doctrina manifesto huic ætati repugnat: imo nequidem cum hac ætate congruit, Pontificum romanorum Canones vocari *Capitula*, aut *præcepta*: recte itaque ait: *Hermannus* CONRINGIUS *a*) *verba hæc*, nostrorumque Pontificum & Prædecessorum: *a falsaria manu esse addita, ceu nemo non emunctioris paulo naris facile odoratur.*

a) Orig. Jur. germ. p. 93.

§. XX.

An retinenda Lectio: *vestrorumque Prædecessorum*: omissa voce: *Pontificum*?

Si igitur retineri nequeat lectio: *nostrorumque Pontificum &c.* an legendus erit textus: *Vestris vestrorumque Prædecessorum* omissa voce: *Pontificum*? An vero *vestris vestrorumque* PONTIFICUM ET *Prædecessorum*? Ex. Si ab authoritate tantorum virorum discedere

re timeas, retine lectionem primam, quia nihil absurdi continet, congruit occasioni & scopo Epistolæ, atque convenit disciplinæ & observantiæ illorum temporum.— Si vero dicas mutationem textuum, & substitutionem vocabulorum in legibus esse evitandam, si retineri sine absurdo verba legis commode poterunt, retine alteram, quia Capitularia fuere condita & authoritate Imperatorum ac Regum, & *Episcoporum*, qui *Pontifices*, imo etiam *Summi*, persæpe in Capitularibus appellantur: (§. 17.) unde lectio posterior, substituta tantum particula ET, salvabit magis textus integritatem, congruet æque occasioni & scopo Epistolæ, nec non observantiæ & disciplinæ seculi noni.— Aut, si mavis, cum ESPENIO retine utramque. Dummodo tibi lectionem Baronii Romanizantem: *nostrorumque Pontificum*: obtrudi non patiaris, non obstantibus manuscriptis a falsaria manu corruptis: certe GRATIANUS ex manuscripto quoque suam lectionem hausit: *vestrorumque Pontificum Prædecessorum*: quæ lectio insimul usu fori recepta fuit. — Sed dubitabis: quomodo LEO IV. *Lothario* promisit observantiam Capitularium regum Francorum, qui solum imperabat Italiæ? &c. In Capitularibus istis quoque scripta sunt *Imperatorum* jura intuitu Pontificum etiam Romanorum, de quibus contemptis sese suspectum reddiderat LEO IV. atque de hoc textu dictum esto

TANTUM.


Inches
1 2 3 4 5 6 7 8
1 2 3 4 5 6 7 8 9 10 11 12 13 14 15 16 17 18 19
Centimetres
TIFFEN Color Control Patches
© The Tiffen Company, 2007
Blue
Cyan
Green
Yellow
Red
Magenta
White
3/Color
Black


TIFFEN Gray Scale
© The Tiffen Company, 2007
R G B W G K C Y M
A 1 2 3 4 5 6 M 8 9 10 11 12 13 14 15 B 17 18 19